



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Divi Avrelii Avgvstini Hippon. Episcopi Meditationes,  
Soliloquia et Manuale**

**Augustinus, Aurelius**

**Coloniae Agrippinae, 1649**

De admirabili lumine Dei, 3

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54885](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54885)

neam. Dicam ergo, dicam miseriam meam: confitear, nec erubescam, ante te vilitatem meam. Adjuva me fortitudo mea, per quam sublevor: succurre virtus, per quam sustentor: veni lux, per quam video: appare gloria, per quam gaudeo: appare vita, in qua vivam, ô Domine Deus meus.

## C A P V T III.

*De admirabili lumine Dei.*

I. **O** Lux quam videbat Tobias, quando oculis clausis docebat filium suum viam vitæ. Lux quam videbat Isaac interius, quando caligantibus oculis exterius filio futura narrabat. Lux (inquam) invisibilis, cui omnis abyssus humani cordis est visibilis. Lux quam Iacob videbat, quando sicut tu intus docebas, filiis exterius ventura prædicebat. Ecce tenebræ sunt super faciem abyssi mentis meæ, tu es lumen. Ecce caligo tenebrosa super aquas cordis mei, tu es veritas.

2. O Verbum, per quod facta sunt omnia, & sine quo factum est nihil! Verbum quod est ante omnia, & ante quod nihil. Verbum regens omnia, sine quo nihil sunt omnia. Verbum, quod dixisti in principio, fiat lux, & facta est lux. Dic etiam mihi, fiat lux, & facta sit lux; & videam lumen, & cognoscam quidquid non est lumen: quia sine te, mihi tenebræ lumen, & lumen tenebræ ponuntur. Et sic sine tua luce non est veritas. Adest error, adest vanitas; non est discretio, adest confusio: adest ignorantia, non est scientia: adest cæcitas, non est visio: adest invium, non est via: adest mors, non est vita.

C A-